

Petrus de Vinea

*Ep. IV 14 (Socero et socru
suis, domino L. et dominae...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 14 (Socero et socrui
suis, domino L. et dominae...)*

ante 1249?

Consolationis litterae ad affines, de morte cognati sui.

Socero et socrui suis, domino L. et dominae B., Petrus de Vineis et cetera. 1. Cum peruenerunt ad audientiam meam noua de obitu..., dilecti filii uestri, cognati mei, tactus dolore cordis intrinsecus dolui et condolui uobis, utpote qui bonum de ipso fratrem amisi, et lumen oculorum uestrorum a luminibus uestris anxior in eodem fuisse sublatum. Fleui quoque et prae dolore nimio oculi mei faciem lacrimis maduerunt, quod uxori, filiis et filiabus meis tam dilectum collateralem decessisse cognoui, qui sic absentiam meam una uobiscum commorans supplere poterat ad consortis meae solacium et natorum. 2. Continuatis ergo in eius memoria diebus pluribus fletibus et dolore, uidi, quod frustra dolebam, et quod redimere non poteram mortuum effusione continua lacrimarum, meditatus potius ipse mecum, quod, cum sortis humanae debitum soluerit, licet fatali casu et mutato ordine parentum uota turbauerit, et dies nequiuert protrahere longiores, sui memoriam, quam sors amara peremit, communibus dimiserit intercessoribus adiuuandam, ut cuius uita nos carere contigerit, pro eo teneamur, ut uiuat potius orare quam flere. 3. Conuenit enim hoc uobis et michi, quod filium uestrum, quem sortis affinitas michi carum fecit, mors ipsius potissimum deploranda, quae se dulcibus annis immiscuit, et iuuentutis florem morsu diro praecidit. 4. Quia uero dispositioni diuinae obuiari non potest, et animam eius debemus et possumus elemosinis potius quam lacrimis adiuuare, cum nec nos deceat in dolorem modum excedere pretaxatum, ne nomen Domini, qui dedit et abstulit, exasperari contingat, superuacuis intabescendo

doloribus, quamquam non possim paternum et maternum in discessu tam dilecti filii reuocare dolorem, quem uestrae sperabatis dimittere superstitem sepulturae, audeo tamen filiali uobis deuotione suggerere, quatenus uobis, michi et uxori, filiis ac filiabus meis, qui uestri sunt, paterno consulentes affectu, quantum propter sortis humanae debitum et labilem condicionem mortalium merorem uestrum moderari potestis, nostrae ac uestrae uelit is prouidere saluti, cum in superstitute filio, filia et nepotibus uestris me quoque, qui uitam et consolationem uestram plus filio, si dicere liceat, diligo et affecto, possitis plenarie consolationem accipere pro defuncto, quem si modo quolibet redimere ualeremus, non parceremus laboribus aliquatenus uel personis.

5. Sed ubi a nobis irreuocabiliter est ademptus, et orationum uestrarum auxilia prestolatur: in superstitibus consolatione recepta, suspiria et fletus uestros ad orationum subsidia conuertatis, illud inter humana desideria solacium habituri, quod pro honesto suo gestu et continentia, per quam se omnibus prestat diligendum, bonam sui recordationem post facta dimisit.